manus honores. Quare non minima illum ratione ductum
esse puto, quicunque fuerit, qui medicinae scientiam auriferam
appellare soleat. Nusquam enim non maximus medicis honos
habetur, nusquam non opibus ornantur amplissimis.
Quamobrem etsi omnes singulari laude sunt digni, qui in
assequendo praeclararum artium scientiam, operam et industriam
suam collocant, non minimam tamen ii laudem merentur, qui ve-
luti numinis quodam afflatu perculsi caeteris postlabitis,
ad medicinam omnes cogitationes suas, atque omnia studia con-
ferunt. Quam multi continuo aegri essent, cum morbis con-
flictarent et doloribus, nisi medici fuissent? quam multi
extincti suavissimos liberos in summa calamitate reliquissent,
nisi medici fuissent? quam multi putatis eversa familia
ad incitas redacti miserrime gemerent, nisi eos medici conser-
vassent, imminentisque mortis sagittas depulissent? Frustra mi-
seri in hunc mundum produceremur, et in continua miseria
vitam degere cogeremur ferarum more, nisi nos medici ab ea ca-
lamitate atque necessitate vindicarent. quod denique in per-
petua rerum felicitate vivere liceat, hoc soli medicorum no-
strorum beneficio maxime acceptum referre compellimur.
Si ergo corporum nostrorum et tranquillitatis vitae nostrae,
(quae sine secunda valetudine esse non potest) rationem habere
volumus, fatebimur medicinam excellentissimam mortalibus